

Pl. 12.



Cl 1820

·:Kosos se se:2A5? xΔaio1

HIEROSOLYMIS,

Sanctissima quondam urbi,

A Tito Vespasiano euerfis

In Schola Cizensium Episcopali

Die X. Septemb. ab Hora IIX.

*Syre, Ebraice, Græce, Latine
parentabitur.*

Mufarum Patronos & Fautores,
vt par est, ad audien-
dum inuitat

M. CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
Rector.

C I Z Æ,

Typis Johannis Ruperti Keil /

Anno 1677.

g.)



S At cito de *Hierosolymorum excidio* Oratoriam exercitationem damus, si sat bene miserabilem fundi Iudaici calamitatem declamatores nostri exprimant. Nuper cum Ecclesiae id curae esset, ut solennis memoria illius rei recoleretur; decretum etiam a nobis fuit, ut eodem tempore Schola nostra ageret, quod omnes Christiani tam impense meditabantur. Multis vero impedimentis ad hanc usque diem reiecti exsoluimus tandem, quod tempori debebamus superiori. Nempe de *urbe Hierosolymitana* acturi sumus iis maxime Linguis, quae Iudaeis fuerunt familiariores, *Ebraea* nimirum, primigenia illorum Lingua: *Syra*, quae Ebraeae post Babylonicum exilium successit: & *Graeca*, quam ex Graecorum commercio domesticam pene habebant, qui ceteris eruditiores haberi cupiebant. *Graeca* enim *in omnibus gentibus*, quod Tullius pro Archia dixit, tunc temporis *intelligebantur*: *Latina*, *Ebraea*, *Syra* *exiguis continebantur finibus*. Ne autem molestiam potius, quam delectationem, iis exhibeamus, qui Orientis Linguis propter grauiora studia vacare non possunt; interpre-
te

te duximus opus esse, qui, quæ peregrina dialecto dicentur, *Latino sermone*, omnibus eruditus vernaculo, qua poterit breuitate, explanet.

IOHANNI ergo CHRISTOPHORO Zeisig/ Wurzena Misnico, has partes imposuimus, vt præmissa breui *commendatione Linguarum studii*, enarret paucis, quæ peregrino, non autem barbaro, sed *santissimo* ore commilitones dicturi sunt. Tum cathedram conscendet

CONRAD ADAMUS Winkelmann / Neofano - Variscus, & eadem dialecto, qua Seruator noster cum fletu interitum prædixit, *rerum Iudaicarum euerfionem* describet, suamque in omnes Orientis literas propensionem non rudi documento comprobabit. Excipiet

BENIAMIN CONRAD, Annæmontanus, atque, vt se nihil antecessori Orientalium literarum amore concedere ostendat, *Ebraice, filo ac stilo sanctorum prophetarum, Ieremie præsertim*, eandem causam oraturus est. Horum industria instigatus, aut *paterna potius gloria excitatus* magni Viri & de literaria re dudum meritissimi non degener filius

PAU-

PAULUS CHRISTIANUS *Mitternachte*/
Geranus, *Græco stilo*, quo primum a Fl. Iosepho illa clades descripta fuit, *eversam Iudæorum rempub.* delineabit. Claudet agmen *flehili carmine*, qui primus dixerat, hoc quasi ultimo officio sanctissimæ quondam civitati *parentaturus*. Si nostris verbis & officiis inuitari possunt, qui præsentia & studio nostratum animos inflamment, & ad vltiores progressus excitent; spero fatis a nobis dictum esse, nec in nostra ciuitate facile futuros, qui tam auersi sint a Musis humanioribus, vt diem se perdidisse existiment, si breuissimo tempore audiant eo dicendi genere perorantes, quo *DEum & Christum suum* frequenter verba fecisse intelligunt. Sic officio satisfecimus, non autem *consuetudini*, vberius proloquium desideranti, cuius tanta hoc tempore vis est, vt etiam officio videatur defuisse, consuetudinis legi si quis minus paruerit. Quid vero adiiciendum? *Prima* reipubl. Iudæorum clades, eaque *Babylonica*, ex sacris Prophetarum literis notissima est: *alteram*, *Romanam* puto, Oratores nostri recitabunt fusius. Quid si *tertiam* adiungerem,

gerem, itidem Romanam, quam rebus Iudæ-
orum *Imperator Adrianus* attulit. Hoc agam,
& ex Iudaicis pariter, atque Christianis mo-
numentis id eruam. Iudæos, quamuis ma-
ximis calamitatibus attritos, ita vincere Ve-
spasiani non potuerunt, quin *sub Traiano* ma-
iores spiritus caperent, aut rabie potius corri-
perentur. Qui enim *Ægyptum & Cyrenaicam*
incolebant, auctore Andrea quodam Roma-
nos pariter, atque Græcos concidunt, & quod
nulla gens barbara fecerat, τὰς σάρκας ἐσπέντο, ve-
scuntur eorum carnibus, eduntque viscera, &
sanguine se oblinunt. Libya tum *interfectis*
cultoribus desolata est, vt, nisi *Adrianus* colo-
nos eo deduxisset postea, penitus abrafo
habitatore (cum *Orosio*, huius tragœdiæ scri-
ptore, VII. 12. loquor) vacua illa mansif-
set. Non minus in *Cypro* sæuitum fuit, quæ v-
na insula CCXL. hominum millia, *Xiphilino*
notante, amisit. Graues *Traiano* pœnas Iudæi
dabant: extingui vero motus nequaquam pot-
erant, sed in dies serpebant latius, donec *Tra-*
iano mortuo *Regem* sibi Iudæi præficerent *Ben-*
Cochba, quasi *stellæ filium*, immanni crudelitate in
Christianos atq; Romanos sæuentē. Periculi

nouitate motus Adrianus, Traiani successor, robustissimas legiones in Iudæam misit, quibus fregit illorum impetum captis L. munitissimis castellis, & cæsis hominum DLXXX. millibus. Tandem omne bellum circa Be Thar (*Bitterem*) Iudææ urbem maritimam collatum, nec finitum est prius, quam munitissima vrbs post diuturnam obsidionem fame ad sui deditionem compelleretur. *Euseb. IV. Hist. Eccl. 6.* Et ne putes fingi hæc a Christianis scriptoribus; ipsi Iudæi vel æqualem, vel maiorem calamitatem confitentur: nec negant, Bar Cochba pro *Messia a suis habitum esse.* In Sepher Iuchasin (p. 35. B. edit. Cracou.) ex Maimonide recensent de R. Akiba, כי הורה נושא כליו של בן כוזבא, *quod fuerit armiger BenCozba* (ita ab euentu nominant, quasi mendacii filium) regis Be Thar, qui se pro *Messia venditauerat.* Licet vero negent ibidem armigerum fuisse, hoc tamen largiuntur, multis signis persuasum Akibam initio credidisse *BenCozbam Messiam esse.* Et in libro Schalscheleth (p. 108. A. edit. Venet.) בימי ר' עקיבא הורה חרבן ביתר עי' אדרואנוס) הקיסר

הקיסר והפליג להרע לישראל ויהר מהשני הרבנור
והרג מהם כפלים מוצאי מצרים ויהר הנאשר
הגלוי לטפוד: *Tempore R. Akiba eversa est Be-*
Thar ab Adriano Casare, qui Israelitis plus damni
intulit, quam prioribus excidiis perpeffi erant. Oc-
cidit enim illorum duplo plures, quam ex Ægypto
egressi fuerant: reliquos captiuos abduxit in Hi-
spaniam. Nec Hierosolymorum rudera tan-
tæ cladis expertia fuerunt. Ex Iosephi lib.
VII. Bell. Iud. c. 43. notum est, Titum dirutis
muris & eversa vrbe quasdam turre reliquisse
μνημείον τῆς αὐτῆς τύχης, ut essent victoria & fortuna
sua monumentum. His vsi sunt Iudæi res no-
uas moliti, & sine vlllo dubio alia munimen-
ta adiecerunt. Vnde id curæ fuit Adriano,
vt *Hierosolymitanas reliquias*, tanquam facem
belli Iudaici, solo æquaret. Appianus, ho-
rum temporum scriptor, tradit in Syriac.
f. 83. quod Adriano *αὐτὴς κατέσκαψε* iterum diruerit
Hierosolyma post Vespasianos. Nec aliter Hi-
cronymus Tom. IV. in Dan. IX. v. vlt. *Sub*
Adriano, inquit, *Hierusalem omnino subuersa*
est - - - & vsque ad solum diruta. Effet
quod de *Ælia Capitolina*, seu Hierosolymis
ab Adriano instauratis, adiceremus, sed
charta


charta exclusi (neque enim paucis licet Xi-
philinum Eusebio conciliare) ad propo-
situm reuertimur, & identidem nostros *Mu-
philos* rogamus, vt studio ne defint tironibus
nostris ingenium præclaro conatu exercita-
turis. Nondum mensis spatium est, cum
ephemerides nunciarent, Nobilissimum Vi-
rum *Ioannem Baptistam Podestà, S. Cæs. Maiest.
Secretarium Linguarum Orientalium*, tres *Lin-
gue Turcicæ* discipulos, stupente & admirante
Cæsarea Aula, publice lustrandos produxisse.
Quod si *Mohammedanæ* Linguae studium tan-
tos inuenit admiratores; par est omnino,
vt plura nobis polliceamur de *Linguis*, non
scelerati Mohammedis, sed *ipsius Dei atque
Christi nostri sanctissimi*, quæ omnibus Chri-
stianis debent sanctæ esse atque summe ve-
nerabiles. PP. Cizæ V. ante Idus Septemb.
M DC LXXVII.


Nr 3165

80

Wort

120





W 1820

de S. S. S. S.

LYMIS,

lam urbi,

no euerfis

Episcopali

Hora IIX.

ece, Latine

r.

& Fautores,

udien-

CELLARIUS,

perti Reil /

g.)

